


1645
Diuo Maximiliano Cæs. Augusto.

Principi Magnanimo & inuicto. Oratio, nomine
Gymnasii Viennensis, per IOachimū Vadianū
Heluetium, Oratorem & Poetam ab eodem
Laureatum. xi. Kalen. Augusti. Anno. M.
D. XV. in celebri summæ nobilitatis
præsentia, exhibita.

Ex Museo
Hungarico



Vegetius a principio primi de re militari.
Nihil equidem recte inchoatur, nisi post Deum
fauerit Imperator.

Ant. 1515

REVERENDISSIMO PATRI ET DO.
DOMINO GEORGIO, DEI GRATIA EPI-
SCOPO VIENNENSI. DOMINO CO-
LENDISSIMO. IOACHIMVS VADL-
ANVS HELVETIVS. S. D.



VAM habiturus eram orationem ad magnanimum Imperatorem MAXIMILIANVM, cum ipse, ut nosti, maximis & amplissimis negociis urgentibus quominus audiret, exscribi eam & offerri sibi Gymnasii nostri presentia desiderasset, officio pro virili feci satis, ea maxime spe, ut nihil horum exiturum in lucē considerem, quæ tumultuaria cogitatione, in subito rei euentu congereram, nam alioqui tempus per me destinatum erat his studiis quibus tanti Principis laus, auctior aliquanto, & ut gesta sua uirtusq; mereri uidebantur, impèriori opera magis illustris, in eruditorum conspectu prodiret. Verum ut aliter agerem casus fecit, nam postq; oratio, ab uiris plarisq; Cæsareis eruditionis non protritæ, lecta est, ita, nescio quo modo, placuit ut editiōe dignā dicerent. Quam, si nollē ego, se maturare tamē uelle quocūq; loco dicebat Iacobus Spiegel Iureconsultus & Cæsareus a secretis, Vir cum ob singulārē doctrinā, tū summā humanitatē, mihi coniunctissimus. Cuius quasi minis factum est, ut quod ipse animo diffidens, ultro nolebam, coactus peregerim. Nō ob id quidem quod Cæsarem laudare, aut nollem, aut non possem, sed ob eam causam potius, q̄ quæ dicturus fueram, haud omnino rei mihi cōceptæ respondere uidebant. Quod igitur aliorū iudicio editū est, reuerendissime præsul tibi nūcupo. Quæris qua causa? Nulla certe alia, q̄ q̄ & tu soles, meas esse aliquid putare nugas. Vt si qui futuri essent, qui iustus fortasse causis moti, plarāq; ut minus accedentia, reprehendere uellent, mihi saltem ob hoc parcerent, q̄ temere probare & admittere nihil soleas, eodem sortasse & in nostris iudicio te usum existimātes. Vale præsul colendissime, & Vadianū tibi cōmendatum esse finito. Viennæ. Kalen. Augusti. M.D.XV.

AD INVICTISSIMVM ET MAGNANIMVM IMPERATOREM
rem Dium MAXIMILIANVM Cæs. Augustum. P. P. F. P.
oratio nomine Gymnasii Viennensis, per IOACHIMUM
Vadianum Heluetium. Poetam a Cæs. Laureatum
XI. Kalen. Augusti. Anno. M.D.XV. exhibita.



ISI INDIES magis magisq; rerū a te gestarum & amplissimarum uirtutū tuarū gloriā accrescere tute ipse intelligeres, princeps inuictissime & magnanī Imperator MAXIMILIANE, mirari fortasse non iniuria posses, cur esset qd̄ adeo incredibili compellādi maiestātē tuam desiderio, quoties Deorū immortalīū consensu hanc urbem nostram, imo uero tuam ingrederis Gymnasii tui uiri antistites corripētur? Præsertim q̄ a multis annis iudicare nō difficile fuit, quanta tua in omnis eruditos beneuolentia & munificentia fuerit, nedum in eos quos publicæ disciplinæ gratia in hac amplissima & magnificentissima ciuitate tua, amplissimis stipendiis ornandos suscepisti, quos eo tibi chariores esse constare debebat, quo acceptiores fuerunt, & alioqui nō obsecurum erat, nos oēs omni studio opera & diligentia in hunc usq; diem tibi plurimū uoluisse, qui ob susceptorū beneficio magnitudinē plurimū debebamus: ut plane opus non fuerit, hac nostra oratione animū tuum, tot tantisq; curarū molestiis occupatum, in horū quæ utrinq; explorata perspectaq; erant, cogitationē & memoriam deflectere, VERVM quia istuc hodie felicitatis peruentum est, ut fulgentissimū in te splendoris & celsitudinis fastigiū, quod nullius ornamenti accessu, augeri amplius posse uidebat, adeo sese extollit, ut cœlo æquet & quotidie amplius estimatiūq; fiat id, cuius antea magnitudinem, satis animo concipere nequibamus, obliti profecto & officii & pietatis iuste uideri possemus, si hoc exoptatissimo aduentu tuo nullum tibi cōmunis læticiæ indicium præsentia nostra faceremus. Patieris igit, eo quo soles animo Sacer imperator Scholæ tuæ Viennensis Gymnasiarcham cū uiris clarissimis & omnifariā eruditis, cumq; iuuentute bonorū morū bonarūq; disciplinæ studiosissima id agere corā qd̄ summa cū uoluptate, unanimi oēs desiderio exoptarunt, hoc est, salutare & uereri tuā maiestatem, oculos pascere prope diuino aspectu tuo, teq; ut mundi dñm & Patriæ patrem exultante

intra praeordia plausu excipere. Quandoquidē cum in omni hominū cœtu uirtutis momenta excolenda esse uideantur quanto plus in illo uenerationis obtinebunt qui ut conditione administrationis, ita & consumatione uitæ non aliis præstat tū sed & exemplo est. Quod exellēs & insigne in te munus, nisi nos primi agnosceremus, officii certe nostri ratio intermissa, culpam impingeret. Non enim par est ut ab aliquo hominum ordine isti in uirtutis cōmendatione & admiratione uincantur, qui eius non cultores solū uerum etiā Doctores esse & uideri uolūt, Quorū in numero nos sumus, qui diu notūq; id agimus, ut diligentia nostra eruditiores euadant, qui cūq; se litterarum artiumq; capescendæ gratia huc conferūt Virtuti uidelicet hac in re summopere consulentes, hæc enim honestæ artiū præsidio comitata amictum firmitatis & certitudinis robur exhibet. Videor iam nunc uidere te Sacer Imperator, quemadmodū præter cōmune officium quo omnes tibi sunt obligati nos prope priuata quædā necessitas ad hanc sedulitatem nostrā impulerit. Ut primi essemus, aut saltē primi uideri uoluimus qui uirtutū tuarū, imperiū tui, imo uero totius uitæ tuæ præstantiam magnitudinemq; testaremur. Quæ quidē ea est, ut intelligi atq; animo deprehendi facilius queat quam uerbis explicari. Quis enim oīa ea, si modo sermonis imensitate nō molestus esse pergit, decenter exequetur, quæ singula tanta sunt ut suum quodq; tempus, suumq; laborem desideret. Etenim cum duo sint, quibus cœlos apprehendisse boni imperatores uidentur, bellorū uidelicet & Pacis administratio, quorū alterū animi magnitudinē, alterū iusticiā, utrūq; certe summā prudentiā sibi uendicat. Nō facile uideo, ab utro quis in regū tuarum cōmemoratione cōmodius ordiri queat. Adeo in utroq; se generosissimus animus tuus insignē præstitit. Verum quia Martia in Imperatore uirtus fastigio laudis locari consuevit, priori loco cogitantē, quæ tua bellorū successu fortuna fuerit, ad eloquendū pronocat. Nec ea quidem enumerare est animus, quæ per iuuetutis tuæ teneritatem, tanta grauitate gessisti, ut nondū parens ipse, post regium Diademā unanimi Procerū imperiū consensu, siue potius desiderio, summa cum solennitate acceptū, Paternū animū, illudq; diuæ frontis in Friderico parente tuo decus & specimen exprimere uidereris. Durat huius memoria apud Burgundiones & Belgas cæteros, durat apud Eburones, Sicambros, Morniosq; &

Batauos qui tuam uirtutem bello experiri coacti, postq; cognouerūt, amare & prosequi summa ueneratione nec in te, nec liberis nepotibusq; tuis, in hanc usq; quæ hæc loquor horam, unq; desierunt. In his q; æquo animo te uictorem gesseris, q; forti aut res aduersas, quæ in tantis armorū difficultatibus caueri oīno non poterant, sustinueris, testes sunt ipsi tibi aliqui hostes, qui per utriusq; fortunæ periculū factū, qui tibi animū, quæ uires, quanta cōstantia esset non obscure animaduertere potuerūt. HAEC aut oīa cum in sene principe sint admiratione digna nedū in iuene, quæ tandem parte ea locabimus quæ maiori ætate & periculo, & gessisti antea, & iā nūc indefessus geris. Notū illud quidē & peruulgare est his, qui tuam animo fortitudinē metiunt, q; grauissimos armorū impetus, & dubiā Martis aleam tuo ductu, tuisq; auspiciis geri non satis esse dixisti, nisi præsentia tua, iā equestris, iam uero, ut res postulabat, pedes primam hostibus faciem tuam exhiberes, hortandorū & monendo uictoriam, quæ tuis titulis deberetur astrueres. Id quod primus Cæsar, qui sibi Dictaturæ perpetuæ nomen asciiuit, summo in discrimine & ancipiti præliorū fortuna historiæ fide egisse memoratur. Quid referam tam diuturnum cum Venetis bellum populo, si opes consideres, potētissimo, & per maria illa nostra summo mercis scœnore repletæ, cui regna quoq; & Regū gazæ in promptu sunt. Si locum quem habitāt munitissimo, & ambientibus oīa Adriæ fluctibus tuto. Si ingenium callido & ad regē euenta mire uersuto, inq; omnis partes sagaci, siue pacis, siue belli statuas cōditio, quod iam mora quidē sua Græcorū ad Illiū obsidioni accedit, in decimū uidelicet annū propagatū. Non tua quidē Cæsar, aut eorū qui tuis iussis sunt ad manū negligētia, quod tibi ne ab hostibus qdem obicitur, sed illorū potius cunctatione uersipelli, & formidine nō sane uirili, nec æquis fortasse belli legibus. Initio nanq; ut illa gens assuevit, alacres admodū & quasi petulci, nunq; deinde uires suas uno in congressu tuis armis exponere ausi, fugatiū Parthorū more iam hæc iam illac erumpentes, oīa festinatissimo & paratissimo in fugā impetu peregere, ob eam rem nulla hætenus uictoria, quæ cōstans ipsis & intrepida manus peperit, memorabiles extiterūt, fusi semper & fugati, nec ulla ex te plus laudis nacti q; hætenus tanto bello superesse saltem potuerunt. Nisi quis & illā eis gloriā tribuere uellet, quod oppida cœperint non nulla, hoc ipsum, si

quæ ceperant seruassent aut quouis modo tutari potuissent, non paruum eorum fortitudinis indicium præbuisse, tam uero cum clandestinis occuribus capta, euestigio amiserint, quid aliud consecuti sunt, præter sui ipsius imbecillitatis testem indicemque esse, quod hostilem terram nec tutari captam, nec tenere occupatam queant, id quod a tuæ gloriæ titulis longe abest, tu namque urbes amplissimas, iure tibi uetustissimo debitas & ab illis summa iniuria retentas, cepisti, tu ingentes ad belli initia cum cogerent uellent, exercitus fudisti, tu potentissimorum Regum in eos odium concitasti. Tu partim uiribus, partim singulari prudentia tua superioribus annis bonam Italiæ partem concussisti, nimirum indicans, quid & quantum in arbitrio tuo positum esset. Qua in re illud nobis simul & iocundum & admirabile fuit, quod tam magnarum rerum fere tota series absente te præter solitum traducta fuit. Postquam enim illa loca prout solliciti ducis strenuique imperatoris partes postulabant, conspicatus eras, cum intra moenia intraque paludes delitescerent nullam tibi aut pugnam, aut trophæi occasionem facerent, capto quod omnium optimum erat consilio, retrocedere maluisti, quod in sole & harena gratissimas tibi tuorum uires destituere, Reliquisti tamen Imperator, qui ad confinia passim excubarent, & dolosi hostis uersutias, non tam exciperent quam terrent. Porro amplissima & ditissima Venetiæ soboles, quid adeo iuuat in hostis uestri dedematissimo aduentu, muros lacusque pro manibus proque armis eligere? Cur bello moram facere quam armorum facto periculo ad uictoriam tendere maluistis? tum enim uirtuti uestre, si quæ fuisset, locus erat cum promptus ad arma miles, oscitabundus & palans ad littora uestra & canales oberrabat, auide prospiciens si quo loco armatos manipulos aut contubernia paulo animosiora deprehendere aut saltim contueri posset, sed delitescere, quam apparere maluistis, ea fortasse causa quod constabat, nullam tuto cum Germano Imperatore manum, de uictoria arma conferere. Maiores autem nostri & quicumque samam armis quasiuere, ueram istam in re militari gloriam esse putarunt. quæ pugnando & urgendo non cedendo & subterfugiendo pararetur. Cum imperium tam faustum, Cæsar, tanquam longa sæculorum monimenta sortitus Romulus Rex difficillima bellorum cura tendere & amplificare incipit, exiguo indubie moenium ambitu, suas cohortes ab hostium legionibus coercuit. Is enim sibi cum aduersariis mos erat, hæc consuetudo, Ut multo magis finitimi uim Romuli & impetum

formidare didicerint, quam Romulus finitimorum potentiam, id quod latinæ historiæ autoritas indicat. Lacedæmonii Spartano quodam id præclare attestante, mulierum curam potius quam uiros muros esse existimarunt. Ille enim cum hospes quidam patriæ suæ muros latos exelsoque dixisset, si mulieribus, inquit, istos comparastis recte quidem, si uiris, turpiter, p. belle indicans uiro forti suam fortitudinem pro muro esse debere. Cæterum ut ad te reuertar Inuictissime Imperator MAXIMILIANE, animaduerto eo poenitentia & tedii a partibus peruentum esse, ut sordus poscere, pacem desiderare, tuamque indignationem demulcere non desistant, ficto ne hoc, an sincero animo faciant, dubium, ipsi certe qua poenitentia ducantur, coram tua maiestate confelsi sunt, & fortasse mallent tuam sibi magnanimitatem, alia quadam quam armorum ratione innotuisse, quam id ad tuæ laudis amplitudinem plus pertineat, quam contemptæ uirium fiducia, quid posses aut quantus esses his ostendisti, quorum animis adeo uictoriæ spes infudit, ut ne tentari quidem se a quopiam posse sibi persuaserint, nedum uinci. Scient illi deinceps quam grauius & quam iuste neglecta potentia scuiat, & exemplo erunt aliis ne in Germanum imperatorem quicquam liberior quam deceat audeant, Germanum autem dico te Magnanime Imperator quod ad Germanos iam pridem translato imperio tanto omnium uirtutum adminiculo firmatus præes, ut dubitari non debeat, plus ornamenti imperio tua dignitate allatum esse quam tibi imperii maiestate. Tamen si in hoc supremo omnis terrenæ dignitatis gradu, plurimum splendoris & dignitatis esse solet, quod ei partim potestate, partim loco paritur. Quandoquidem cum ingens sit atque imensa estimationis apex imperatorius quocumque tandem loco statuatur, & cum uetustate & Sanctitate nominis, tum rei, cui semper summa ueneratio habita est, excellentia pene adorandus, multum referre mihi uidetur quæ gentes eundem aut quis locus excipiat. Non enim est omnium ad uictoriam æquæ fortunæ accessus, nec pares ad gloriam uires. Xerxis dignitatem totoque oriente proclamata potentia si Lacedæmonii aut Athenienses tenuissent eo tempore, quo ipsis indefessum armorum studium memorabiles passim uictorias pariebat, longe herde maior uisa fuisset in horum exigua manu quam illius maris & terras obumbrante multitudinem. Adeo dissimile est, a luxu ne & effluente copia, an potius a uirtute haud quam ostentosa, fama & honoris nomina proficiantur. ROMANVM Imperium, quum Aquilis emicuit

in Latio, potentissimū fuisse utriusq; linguæ monimēta indi-
cant. Idem adeo inibi defecisse scimus, ut, nisi Diis ita procurā-
tibus, & ipsa etiam Roma per suas pontifices enixe conāte, in
Germanorū inuictā Regionem tralatū fuisset, ad nihilū fortas-
se redactum hodie summo cum animi mœre cerneremus.
Quod ne manes quidem inclutissimorū Romulidarū quorum
fide, prisca militiæ felicitas constitit, sine dolore quocūq; loco
degāt accipere potuissent. Ita tellus illa nescio quo luxu, quæ
desidia adeo sui facta erat impos, ut nō Barbaros tantū, Got-
thos, Vandalos, & Hunnos dico, nil repugnando admiserit,
sed Reges etiā quoscūq; sustinuerit. Primū igitur uobis ui-
atrices Aquilæ, ex eo tempore consultū fuit, quo per niuearū
Alpiū iuga trāsolātes eorū in principū tutelā uenistis, qui ab
externarū gentiū incurſibus tuti ueraz uictoriarū autores esse
possent. Quis enim armorū felicitate, fortiūq; uiroꝝ fecundi-
tate Germaniā hodie primas nō tribuat? Quis fortissimas &
bellicosissimas natiōes eius nesciat? Cuius Germāiæ Nempe
eius quæ linguæ cōmunionē aut intra uetustos limites, aut
certe prope, illustris est. Equidem cū Pannonēs, Noricos, Vin-
delicos, Rhetos, tum maxime Helucios inter Germanos nu-
mero, minus terræ fortasse natura, at amoz fide, cōstantia, &
fortitudie magis. Nihil enī illis ī eo uirtutis genere qđ uiroꝝ
sit deesse uidetur. Hi uero præter hoc, q̃ a Germanis ortū in-
dubiū trahunt, rerum ad bella pacemq; pertinentiū, peritissi-
mi & eximie cuiusdam libertatis assertores, tuæ maiestatis in-
regritatem, tanti faciunt, ut in te uno uenerentur, quod soli
tibi datū concessumq; esse animaduertunt, in nulloꝝ alioquī
quotquot sunt aut Regum aut principū decreta iurati, stre-
nui semper reꝝ imperialium propugnatores. Si sunt qui ali-
ter sentiunt malunt illi quidē per inuidiā dissentire q̃ proba-
re uerum. Illud ausim dicere uideri mihi nunq̃ firmitus, nunq̃
illustrius imperii Romani res steterisse, q̃ ex eo tēpore quo ipm
dei optimi max. nutu & ecclesiæ Romanæ sacro sanctæ con-
sensu, in has terras tuas, i. in hāc nostrā Germaniā translatum
fuit, quæ quidē a seculorū memoria nullū unq̃ tā graue iugū
passa est, quin euestigio asseruerit se & subdlexerit. Quæ prius
pes suos imperii magnitudine, non genealogiæ cuiuspiā suc-
cessionē, sed uirtute & potentia idoneos, dignata est. Quæ a
Romanis neglecta cum sanguinis propagationē uirtuti ppo-
suissent, factū est ut improbos p̃sæpe & ineptos imperatores
quorum

150
quorum stulta insolētia imperii ratio incolumis stare nequi-
bat, sustinere coacti sunt, inq; his grauissimā experiri Tyran-
nidem, quos cōmuniū parentū nomie dignabant. Et alioquī
multum interest, imparisq; & honoris & meriti, eligat ne in
præcellentē imperii apicem, an expuncto priori succedam? In
illo enim iudicii & consensus bonitas locum habet, ut etiā de
se confidere possit, qui tantarū reꝝ habenis præponitur. In illo
autē cum sors & fortuna electionē faciant, non tam bonis &
idoneis q̃ improbis & ignauis locus esse potest. Tu quidē Cæ-
sar Auguste primo Rex, mox Cæsar electus, magnanimitate
& prudentia tua cōsecutus es, ut te bella mouentē Germana
pubes libens in quēcūq; hostem sequatur, pacem uero admi-
nistrantem supplice pietatis & amoris officio ueneret, ornet,
amplificet, deniq; nullū officioꝝ genus quod candidū & sine-
rum in Principē animū deceat, intermittat. Et hoc quidem eo
loco, quo multis sæculis maiestatis imperatorie ratio aut ig-
nota, aut non admissa fuit, apertissimo indicio, non p̃pterea
immanes Germanos uideri debere, q̃ maximis conantium
Cæsarum claudibus imperii conditionē reiecerint, sed pruden-
tes potius, q̃ agnouisse uideant, nulla tyrannidis molestia li-
berim natura gen⁹ humanū premi & uexari opas esse. Cum
iam nunc suæ gentis Cæsares, quoz tu multo maximus es, ita
ament ut Patrē esse patriæ dicant, ita prosequant ut nil ratū
aut bonis auspiciis factum existiment, cui Cæsareus consensus
non accedit. Hæc Germanis pietas est in uirtutē, hæc in æquū
& iustum religio, & ut in summa complectar hæc cōstantia &
seueritas ut in lectoz Principum absentia, suā libertatē tueri
matuerint q̃ genti uirib⁹ impari, unde unde illa esset, man⁹ in
seruitutē promptas porrigere. Quāob̃re multū ipsis estimā-
tionis apud exteros accessit, in magnaz enim reꝝ memoria,
ubi inclita belloꝝ facinora recenseri solent, nullis maior belli
gloria accedit, his, q̃ nulla subita formidine percussī, ad uicto-
riam armis cōtēdere, & in medio periculoꝝ impetu, fortitu-
dinis exhibere de se indicia ausi fuerunt. Sic Romana historia
Samnites, Veientes, Tarentini & Carthaginenses illustrati, ex
eo maiorem aliis laudem cōsequunt, q̃ sua fortitudine factū
est, ut simul uictoris gloriā uiriliter p̃tendēdo auxerint, suāq;
in eo q̃ uicti sunt nō prorsus interire passi fuerint. Germaniā
nostra pugnax & Martia, sola quæ libertatis solidæ nutrix
esse uidetur, gloriā elargita est, sese, non uincere dico, sed
petere atq; intrare audentibus, istud enim singularis fortitu-
B

dinis indicium prebuisse uisum est. Hinc Casari dictatori posteritatis memoria partus honos, & ponte extructo in Germanorum ripam arma traiecerit, non multis diebus aut sane ut loquar uerius non horis multis illic uictoria, non enim solis paludibus impeditum crediderim eum qui ne ab Oceano quidem abhorruit, quo minus in Britannos irrueret, sed & armorum impetu cohibitu, illa argumento esse possunt, & qui post eum Casares, eandem, arridente uictoriae spe sunt ingressi: audacium consiliorum temeritate semper grauissimis cladibus luerunt. Traianum Imp. Cecilius magna laude extollit, & Germanorum excursus per obductum glacie Danubium, armorum suorum felicitate retulerit, adeo magnum & memorabile aliquando fuit, nostrae originis gentem non uincere quidem, sed ne uincerent, cohibere. Quin & falsos simulare triumphos & pro captiuis Germanis eos duci qui Germani non essent. C. Caligola defes & portentosi ingenii Princeps, in iustae gloriae partem collocauit. Praeterea mensis nomen mutare, & Germanicum dicere qui ante septembris uocatus esset, in eum finem Domitianum uoluisse multiplex coniectura est, ut talis solertia occasione sempiternum sibi apud posteros, quasi superatae Germaniae monumentum relinqueret. Nosti magnanime Imperator, qui in auspiciu Augusti de Germanis imperio adiiciendis consiliu fuerit. Varians istud clades edocet, quam ne ipse quidem adeo fortunatus alioqui princeps, tam modeste ferre potuit, ut minus interim capillo & barba summissis, caput foribus non illiderit, in hanc uocem frequenter correptus. Quintili Vare legiones redde. Quo tempore adeo consternatu animo fuisse constat, ut excubias per urbem indixerit ne quis tumultus existeret, praesidiis provinciarum imperium prorogaret. Denique quot annis diem cladis moestum habuerit. Quid plura? Roma illa, illa in qua Roma, quae bellorum successu, & triumphorum magnitudine, caput orbi se statuere fuit ausa, nulla orbis parte, toties elusa & frustrata spe fuit, Germanis semper qui uincerent repertis, quod hoc in loco, nisi me alia premerent, longa historiarum serie explicare poteram. Illud non praeterea, oes fere habitatae terrae tractus, occasione materiemque gloriosissimis uictoriis tribuisse. Nam India ante Alexandrum uictor Bacchus ingressus est. Scythiam Alexander concussit, in hanc Asiamque, Syriam, Arabiam, bonam Libyam partem, Daciam item Thraciamque, tum in Pannonias, Macedoniam, Graeciam omnem, Gallias & Hispanias, Romanorum arma penetrarunt, ita uincencia, ut tribu

ra censuque in ararium referendi statuerent, ut nono magistratu usu, Proconsules, Legati, Praetores, Questoresque qui ditioni praesent, mitterent. Sola Germania quam nulla unquam peregrinae potentiae fama terruit, indigeno Marte felix, ois uita & fortunae pericula Tyrannidi praetulit, hostem constanter amouit, quem si aliquando (ut nusquam integra est fortuna) repente irruentem admittere coacta est, libertatis non oblita, quocumque discrimine oppressit. Qua in re scriptorum Latii leuitatem, mirari plerique non iniuria solent, qui illi & historiae (ut uidetur) fide & officii sui sinceritate neglecta Romanos terrarum orbe potius asserere falso maluerint, quam ueritatis amore (quod historia cum primis desiderat) id quod res habebat fideliter explicare. Etenim nec Scythia, nec India Romanorum unquam fuit, ut maiorem Aphricae partem praeterea, tum inter propiora nec Parthorum quidem aut Germanorum ager. Quis ignorat plus semper foedera cum Parthis fecisse pacis quam arma? quod ipsum si Crassus secutus fuisset, multo amplior, ut puto, gloria & sibi & filio abstinentendo quam insequendo peperisset, id quod in Germania quoque petita perquam commodum Lollius & Varo, & ante hunc Druso morienti fuisset. Caterum ut laus nostra maior fieret, mori intra Germaniae limites maluerunt, quam ut in suis sedibus periret operari. quod his euenit, qui ab Gothis & Vandalis in media urbe trucidati sunt. Itaque ut Romanus quoque scriptor testatus est multo magis turpiter Germania amissa est quam gloriose quaesita. Tu uero magnanime Imperator huiusmodi uerborum testatoria rerumque friuola commenta, e nullo tuae laudum pracone desideras. Nemo se tuae maiestati per hoc placitum iri existimet, qui te aut dum Deum, ut se nominari Domitianus uoluit, aut toto terrarum orbe potitum, quod ne Alexandro quidem contigit effusiat. Per hoc enim tibi tuisque maioribus, Caesaribus Germanis, summa laus & summus honos accessisse uidetur, quod ea regio, uestras Aquilas, obuiis manibus & excepit semper & hodie excipit, quam summa contentione, dum in Latio esset, imperium obtinere nequiuit. Quod si nulla exterarum terrarum te principem & iure mundi dominum agnoscere uellet, essetque his tamen Caesar qui sunt & nominant Germani, nihilominus tamen, tuae maiestati par cum omni uetustate laus, parque estimatio accederet. Nunc uero quoniam non a Christianis solum omnibus qui te iure ut orbis principem agnoscunt, sed & ab his quibus nostra est ignota religio, coleris & ueneraris, eo tuae maiestati plus ceteris laudibus accessisse putandum est, quo se amplius ultra confectos Imperatores

Chad. 152
hug. m. 152
 perator: titulos, autoritatis dignitatibusque tua ratio extendit. Quod ad ecclesiam nostram Principes attinet, satis nobis testimonii attulerunt Vladislaus Hungariae, & Sigismundus Sarmatia, Potentissimi & Christianissimi Reges, qui, cum ad eos tuarum uirtutum fama pertigisset, adeo comoti sunt, ut nisi mutuae praesentiae tecum oblectatione aliqui fruerent, satis factum amoris in te suo minime putarent. Eam ob rem, cum nuper haud longe abesse te intellexissent, ille ex regni sui uicinis, hic ab extremis Scythiae Paludibus, Moschoe acie deuicta propius aduentarunt, quodque mihi summi amoris & obseruationis indicium uidebatur, Ludouico coronato rege, & Anna Regina dulcissimis Vladislai liberis in latus assumptis, quasi id ex tua poscitur maiestate, ut cum de nobilissima domo sua, tum maxime de summa ipsorum in te obseruantia iudicium arbitriumque statueres, quia quidem re, quod amplius diuinae dignitati tuae testimonium accedere possit non uideo, praeter enim omnium regum, quae in hoc uero conuentu se offerunt, magnitudinem, illud oium animos non potuit non mouere, quod hi Reges quorum prouidentia per tuae maiestatis consensum totum orientalis Christianitatis latus gubernatur, quique crebros triumphos non Christiani sanguinis iactura, sed ethnicae perfidiae continuis cladibus, sibi quos agant comparant, adeo officiose te & humaniter conuenerint, Tametsi enim te dignissimum, oibus uisum est, quicquid per illos tibi splendoris adfuit, Raritas tamen suspendit anios, & iam nunc euenire mirata est multitudo quod ante nullis saeculis contigisset. Etenim nec historiae nec Annales, neque ulla prorsus rerum gestarum monumenta id nobis indicant, ut asserere possemus tres illustrium regnum Principes, coronatos Reges, ualidissima rei Christianae propugnacula, in ullius Imperatoris conspectum tanta fide, munificentia, & humanitate uenisse. Et tamen uertutiores illi cum se orbis principes iactassent Reges suos etiam singulos rarissime Romae, nisi aut pulsos a suis, aut captiuos confexerunt. Tantum absuit, ut uirtute & clementia potius quam ui & impetu exterarum sibi gentium animos deuincere posse uiderentur. Id quod tu mira quadam & incredibili prudentia, tum & clementia singulari assoles, Qui, postquam pridie parentissimo in campo, innumera nobilitate praesente, ipsi te prius Reges salutassent, post expletos micantissima facie tua, oculos suos, cum eos animi gratia in amoenissimam uenationem duxisses. Postero die quando una hanc amplissimam urbem tuam ingressus es, tantam omnium oculis admirationem iniecasti, ut nulla olim triumphorum

fol. 152
 utcumque uenusta & magnificam specie simile quiritibus peperisse existimem. Primum ille nobis tuorum principum equitatus miraculo fuit qui propter solitum agilis elegansque & ad omnem euentum mire paratus & succinctus erat, in quo, cum cataphratti & leuis armaturae circuequites, correptis ad calcaria caballis priores ingrederentur, uisi mihi sunt equi ipsi spaciose & superbo incessu suo, gestientes indicare qui essent & quanti qui mox se quarentur. Quid Ephippia hoc in loco recenseam? Quid torques, armillas, bullas, enses, Macheras, Acynaces, Velitares hastas, desultorios equos, equos gradarios? Quid scuta, quid frammeas & misilia? totque agilimos ut sic dicam oplomachos? Quis illum digne referat, elegantissimum & maximis opibus resplendentem trium Regum comitatum, in cuius medio, duobus praecurrentibus, tu te Augustissimo habitu, seniori Hungariae regi coniungere dignaberis? Oblectauit se mirum in modum, ex itinere, & fenestris summisque tectorum fastigiis perspicuens multitudinem, oia iubilo, oia plausu conferta erant, placebant trabes, clauique & in nullo non insignis purpura, tum & equi Argolici & Thurici, quibus anro argentoque fuis undique crepitantibus tintinnabulis, superba in incessu sollicitudo, festina in cursu uelocitas, summa in colore habitusque gratia inerat. Quid inueteris oculis arcus Scythici, qui admirabiles fuere? Nemo non attentissime captiua illa Thurcae agmina, quibus tot sagittae tot pharetrae ex humeris pendebant intuitus est, oblectauit habitus, terruit uultus, commouit odium, nec ulla in parte maius uulgo desiderium, quam Thureas uidisse, qui spectasse Tartaros, tantum horum immanitas omnium animis iamdudum admirationis iniocerat. Quid de Moschis, quem non perculit inauditus lituorum insonando dalsico strepitus? qui tamen, ut dissonantia odium, ita gratiam raritate obtinuit. Quam tibi, qui Principi Polono plebs gratulata est, quando coram cernere eos potuit quorum summa cum gloria uictores essetis? Verum in illo quidem quod oes suspicerent extitit. Maiora penitioraque prudentioribus solum obuia, uerum & solidum exoptatissimi conuentus uestri gaudium absoluerunt, in eo uersabantur, quod quanta tuae maiestatis autoritas dignitasque foret cum tui gratia ista oia fieri uiderent, intelligebant, quod Pannonia illa sua, quam Austriam dicimus, gloriosissimi sanguinis & illustrium principum alumnas, eo beatorem futuram iudicabant, quod quasi in sinu tot praedara regnum ornamenta, tam pellucidum Christiani orbis caput oiam principum bonorumque concursu fouerit, quod pacem & concordiam diuinis

consiliis inita in eo potissimum loco statuere uidebamini, quo
 cum primis postulabat necessitas. Nam per Illyriā tuā & Croa-
 ciam a meridie, per Pannoniā & mysiā ab ortu, ferox thurca-
 rum rabies grassari non desinit, urget uero Sarmatiā Moscus
 impius, & imanes Tartari uires addunt, qui cū cōsilio, moni-
 tionibus aut fœdere cohiberi nō possint, ut armis reprimā-
 tur opus est, quæ tū maxime uictoria futura erat cum uestre
 ea concordia uires confirmassent. Alia ceptorū in Christianū
 bellorum ratio uobis uisa est, illic enim præ furore, præ fero-
 cia, quod ius fasq; desiderant, locus esse nequit. Hic si non hu-
 manitas, non amor æqui, quæ nobis tū natura p̄scripsit, Chri-
 stiani saltem nominis pietas, quo minus in mutuū sanguinē
 hauriendū proni sint qui bene agere ultro nollunt, auertere
 potest. Vidimus ipsi sacer Imperator non parū multos, qui in
 hoc splendidissimo aduentu uestro quid adesset, oculis remis-
 sius intuentes, quid uero futurū foret animo intentius contē-
 plantes, mente conceptā lætitiā adeo moderari non potue-
 runt, quin lachrymis per genas defluētib⁹ aspergerent, intā-
 tum mortaliū animos pacis cōmoda prouocāt, demulcet cō-
 cordia, deniq; spes quadā ad quā Genus nobis indit⁹ est, am-
 plitudinis, gratiæ, decoris & auctoritatis allicit. Præter illa igit
 inuictissie & orbis habenis nate MAXIMILIANE Aug. q̄ Sar-
 matiæ Pannoniæq; ob tam fœlicem aduentū cōgratulādum
 existimamus. Q̄ regnis terrisq; tuis, non tam diuina maiestas
 tua sit auctior q̄ pax firmitus residet. Q̄ orbi Christiano mul-
 tum imperio tuo, libertatis, splendoris, & quietis accessit. Hoc
 nos, qui tui sumus, tum demū maxime omniū afficit, qd̄ illis
 in terris agimus quibus te & uti & frui possimus, etenim cum
 orbi contigeris, nobis eo contigisse amplius fato uideris, q̄
 aut nobiscum aut circum nos agis, p̄ qd̄ præsentia tua, festos
 quasi animos nostros efficias, gratia uero, iuues, adornes, uir-
 cas. Hesit quondā etiā in malorū Principū animis sollicita de
 se mortalitas, quis in eo nō hæreat de quo sperari possit nihil
 esse boni qd̄ bonis optumus ipse, non faciat communē. Nam
 ultra hæc quæ pace & bello insignis Parens tuus Fridericus
 Imp. Augustus cui iam dudū radiatum inter numina caput &
 medio sedes statuta cœlo est, dum in humanis fuit, splendi-
 disime & magnificentissime exhibuit, oīa tu ita in te trans-
 lata suscepisti, ut maiora feceris, maioraq; relicturus esse uide-
 aris q̄ ut uel Nepotes uel nepres sufferre queāt. Tærti iā nūc
 per generosissimā & plenā indolis genealogiā Austriæ ducū,

hoc translatitiū esse incipit, ut certis argumentis confirmati
 persuasum habeamus nihil maiores relicturos quod minore
 industria & strenuitate non sit aut par futurum aut maius. Ut
 enim tua patrem, ita te Philippi filii gesta referunt, atq; utinā
 sibi per fatorū clementiā ad eam ætatem peruenire licuisset,
 quæ maior illustriorq; sua uī, maximū illū suū & illustrissi-
 mum animum euidentius mortalibus ostendisset, quanq̄ hoc
 ipsum in ætate etiā tenera, prudentiū testimonio consecutus
 est, ut secundū te, hunc unum fortunæ principū omniū quos
 unq̄ sol uidit, optimū, maximum, ornatissimum terris osten-
 disse uideatur. Huius soboles tam icolumis tam sancta & in-
 genua quid non præ se fert? quā spem nō meretur Hispaniis
 Ferdinādus adolescēt, Belgicæ Carolus numen astruit, quorū
 uterq; paternū animū ita representat, ut quantū sibi decoris
 allaturi sint etiamnum indigent. Faminea progenies, Reges
 tam genere q̄ indole meretur. Adsciscit Annam nunc Panno-
 nia, & reginæ Castiliæ speciosissimæ, speciosissim⁹ Hungariæ
 & Bohemiæ princeps Ludouicus sponsus est. His aliisq; maxi-
 mis reb⁹ quæ mirari paulo amœnius est q̄ sermone prosequi
 quietem gratiāq; his maxime qui te agnoscunt & tuis uigent
 auspiciis polliceris. Hæc enī quæ tua sunt hæc magnitudo est,
 illa gloria, tam ingens ad æternitatē retinendā uis & efficacia
 ut ea ipsa memoria prosequenti animi acie obtundant. Nos
 finem dicendī facimus, etiam non consecuti quod optabam⁹
 conentur alii & entantur, ut qui sis relinquunt posteris. Ego
 certe me immensitate premi satis superq; sentio, cui nondum
 iusto quæsito principio per labantis animi tenuitatē, uel in-
 uito desinendum sit. Hæc nos postremo fiducia solatur, hæc
 spes confirmat, q̄ persuasum habemus neminē ordinis nostri
 qui illustriū doctrinarum studiosus sit, ita de te sentire inge-
 nue posse, quin de litteris & litteratis omniumq; honestarum
 artium amatoribus ita semper sentias ut omnium de te opi-
 nionem, præuenire credaris.

DIXI.

Impressum Viennæ per Ioannem Singrenium.
 Anno. M.D.XV.